

Al-Mutanabbi

De 9058





VIRO
PIETATE DOCTRINA HUMANITATE EXCELLENTISSIMO
CHRISTIANO WOLTERSTORFF
ΚΑΛΛΙΚΡΗΝΑΙΩΙ

PASTORI AD S. CATHARINAE FIDELISSIMO
GYMNASII SOLTQUELLENSIS RECTORI QUONDAM MERITISSIMO
NUNC LINGUARUM SACRARUM PRAECEPTORI CLARISSIMO

DIEM

QUO ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS
DOCENDI PROVINCIAM IN COLLEGIO FRIDERICIANO
REGIOMONTANO

SUSCEPIT

EA QUA PAR EST PIETATE ATQUE OBSERVANTIA

GRATULANTUR

DIE III. IAN. MDCCCXXVIII

GYMNASII SOLTQUELLENSIS PRAECEPTORES

INTERPRETE

GUILIELMO GLIEMANN WOLTERSDORFIANO

GYMNASII SUBCONRECTORE

Præmissum est *Abu'l Charri'l Momallechi* ad *Abu'l Melchum* sapientem carmen arabicum ex duobus codd. mscr. nunc primum editum latine et vernacule conversum adnotationibus criticis et exegeticis instructum.

HALIS SAXONUM

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.



CHRISTIANO MOLINUS
KALAMATI

OMNIA QVOD IN LIBRIS ET SCVLPIbus
QVOD IN PICTORIIS ET SCVLPIbus
QVOD IN SCVLPIbus ET PICTORIIS

QVOD TANTO QVOD PICTORIIS VNM
QVOD TANTO QVOD SCVLPIbus VNM
QVOD TANTO QVOD SCVLPIbus VNM

که برو نوک الماس در سفنته ام
در بحر دانش همه زفته ام



CHRISTIANO MOLINUS
KALAMATI

HIER'S SAXONI

EPISTOLA EDITORIS AD LECTOREM.

Inspicienti mihi aliquando codices manu scriptos, quos satis multis meis libris adnumero, in manus forte incidit hoc, quod sequitur, carmen arabicum adhuc ineditum, multis quidem in locis, quod primo statim adspectu apparebat, depravatum, sed quo nihil propter argumentum magis videretur idoneum, quod hac scribendi opportunitate oblata ex occulto in lucem protraheretur. Id consilium non ita multo post communicavi cum GESENIO, praceptore quondam meo pie colendo; et simul ipsum codicem tradidi examinandum, additis precibus, ut, si quae in eo essent aut omnino mendosa, aut saltem suspecta, ipse pro consueta sua erga me humanitate meliora restitueret emendando. Accidit autem, ut eo tempore Vir summus multis et variis occupationibus distineretur. Itaque, re cognita, consilium quidem valde laudavit, codicem autem examini subiiciendum et emendandum tradidit amico et familiari suo ROEDIGERO, Viro humanissimo, in academia Halensi privatis lectionibus docenti. Tum vero, quod primo mali aliquid ominis habere videbatur, idem maximo usui esse coepit. Etenim humanissimus ille ROEDIGER, cum et ipse eiusdem carminis exemplar, idque non solum meo emendatus et correctius, sed etiam (quod operam nostram in hac editione aliquantum adiuvit) nonnullis in locis scholiis arabicis instructum, haberet, agnito statim poeta, litteras ad me dedit, et suum codicem humaniter tradidit utendum, unde contigit ut coniecturis in hoc opere facile supersedere possem. Non enim ego eos pos-

sum laudare, qui vanae coniectandi lubidini indulgentes sua somnia lectoribus obtrudere malunt, quam optimis codicibus fidem habere. Sed haec hactenus. Habes, humanissime lector, libelli originem. Reliqua, quae praefationis loco dicta velim, haec fere sunt, quae sequuntur.

Fando equidem audivi, non recte interpretis aut editoris munere fungi, qui in eo acquiescat, ut librariorum menda eiiciat, veram et germanam scripturam pro virili parte restituat, verborum, si quae parum usitata et a quotidiano sermone aliena lectorem offendere possint, vim et potestatem exponat, locorum difficilium sententiam exquirat: multum adiuvare praeterea auctoris, qui fuerit vel quonam tempore vixerit, et quae sunt eiusdem argumenti reliqua, accuratam cognitionem. Quin multos memini ad illam opinionem ita praeter modum sese accommodare, ut libros de libro conscripserint. Quodcum de Nostro ad hoc tempus a nemine quidquam memoriae traditum sit, operae pretium me facturum existimo, si breviter rem tractaverim. Multis enim, (quae est pervulgata opinio,) de homine alioquin paene obscuro et omnino ignobili non opus est, quamquam, si opus esset, plurima haberem, quae de poeta nostro dicerem partim laudanda, partim vituperanda; nec vereor, ne, quod nonnullis accidisse video, ut eo ampliora volumina conscriberent, quo magis incerta et obscura res eorum indagationi se subtraheret; (scilicet difficillima quaeque et minime intellecta res longissimam habet disputationem:) — idem igitur ne in me caderet, non vereor, quippe qui auctoris vitam et mores penitus perspexisse mihi videar. Nolo autem humanissimi lectoris iudicium praeoccupare. Itaque visum est mihi eam rationem inire, ut praefatus, quae in ipso carmine sint auctoris et aevi sui vestigia, diiudicandam rem aliis relinquam.

Quaerat forsitan quispiam, quae sit codicum externa facies aut omnino eorum qualitas? Dubito autem, an in nostra disquisitione eius rei notitia sit ἀδιάφορος, quamquam haud negaverim, ubi complura eiusdem libri supersint vetusta exem-

plaria, in re critica eorum accuratam cognitionem maximi esse momenti. Uterque codex forma est quadrata, penna anserina scriptus, charta linteal. Quid igitur? An, quia Arabes, sicut reliquae Orientis nationes, charta xyлина plerumque et calamo ad scribendum utuntur, idcirco putabimus, intra Europee fines, adeoque fortasse non procul a nobis ipsis aliquem versificatorem hoc carmen, quantulumcunque est, animi causa composuisse? At pauci, opinor, inter nostrates Asiatico sermone versus faciant. Ut descripscerit igitur utrumque codicem aliquis Europaeus, quid inde argumenti de auctore et aetate carminis concludere possis, equidem non video. Neque tamen hoc loco, quandoquidem semel codicum facta est mentio, prorsus silentio praetereundus videtur versus ille Ferdusii, unius de Persarum poetis celeberrimis, in meo codice ita uno tenore ab inscito librario extremae parti adiectus, ut omnino cum ceteris cohaerere videatur; quem versum post inscriptionem libelli in tergo plagulae primae (is locus maxime commodus videbatur) typis imprimendum curavimus. Laudat hunc versum GUILIELMUS IONES, quem ego coryphaeum facile appellaverim eorum omnium, qui ipsius aevo inter Anglos aliqua Orientis litterarum peritia inclarerunt, elegans ille poeseos spectator, et scitus poeta ipse, in pervulgatis suis Commentariis, (editio-
nis Eichhornianae pagina 19,) ubi hanc interpretationem lati-
nam addidit:

*Siquidem calami acumine adamantino margaritas nesi,
in scientiae mare penitus me immersi.*

Constat autem, Persas, ut Arabes, margaritarum nomen ele-
ganter transferre in poesin, ut, qui versus faciat, margaritas
connectere, immo perforare, tralato verbo dicatur. Cum multi
sint eiusmodi loci apud Hafsim, quem Persarum Horatium
iure quodam appellant: tum prae ceteris propter insignem rei
probationem hic spectat finis odiae VIII litterae Eliph, ubi se
ipse alloquitur poeta:



*Nexisti uniones, versusque, Hafis, pepigisti.
Dulce canas! piae Pliadibus tua carmina fulgent.*¹⁾

quo loco Pleiadum mentionem ἐν παραλλήλον esse factam nemo non videt. Quid multa? Quemadmodum olim Archimedes illud εὐρηκα exclamavit laetitia elatus, ita Nostrum crederes piae gaudio se continere non potuisse, quin illo versu finitum laborem significaret. Ecquid inde coniicere possis de eius patria seu natione, id, humanissime lector, ipse tu videris. Ego vero, si fas esset, nec data fides obstaret, lubenter tibi persuaderem, ad Persicarum arborum odores intra fines terrae کرمان²⁾ hos versus esse factos.

1) Ipsum locum Persice adscribam:

غزل گفتی و در سفتی بیما و خوش بخوان حافظ
که بر نظر تو اذشاند فلک عقد ثریا را

Sententia alterius hemistichii est: cane, Hafis, nam sertis, quae ex margaritis tuis fiunt, id est, poematis tuis, multo inferiores sunt ipsae Pleiades, (eas enim cum sertis apte confert poeta:) ut similitudinem inter hunc locum et inter Horatii versum: *exegi monumentum aere perennius facile agnoscas.* Integrum carmen exstat in GUIL. IONIS Grammatica Persica, (*A Grammar of the Persian language*) edit. V, quae prodiit Londonis 1801, pag. 10 seqq. [ed. Lee. Lond. 1828. p. 16 seqq.] itemque in Roussovii anthologia Persica, pag. 153 seqq., cuius libri, in Germania, ni fallor, non nisi modice pervulgati, inscriptionem adiicere licet. Ea autem haec est: *The flowers of Persian literature; containing extracts from the most celebrated authors, in prose and verse; with a translation into English. To which is prefixed an essay on the language and literature of Persia.* By S. Rousseau. London 1801. 4. — Eiusdem carminis interpretationem Anglicam vide in priori libro p. 129 seqq. [ed. Lee. p. 168 ss.], in posteriori 153 seqq.

2) Geographi nostратes ad unum omnes *Kermaniam* scribunt litteris vernaculis. Scιunt autem Persicae linguae perili, litterae گ sonum medium inter چ et گ, id est inter nostrum g duriusculum et inter k, locum tenere, ut paene cum Gallorum g in gäter congruat. Non enim plane eodem modo sonant گ et چ. Rectius igitur scriberetur *Kiermania*, immo rectissime, ni omnia me fallunt, *GERMANIA*.

Iam vero inscriptio carminis consideranda est. Quae quamquam ab aliena manu potius, quam a poeta profecta esse videtur³⁾, tamen, quia id unicum de Nostro est testimonium, aliquid habet momenti. Sunt enim Arabum non solum cognomina, sed etiam ipsa nomina plerumque eiusmodi, ut aliquid significant, immo cum hominum aut patria et domicilio, aut vita moribusque haud raro congruant; neque eiusmodi nomina, qualia sunt apud nos plerumque, ipsi animo comprehendere queunt. Cuius rei non alienum videtur quale testimonium prohibuerit Niebuhrius noster ὁ πάντων, docere, quo facilius intelligatur, quanti in hac disquisitione auctoris nomen sit momenti. Qui cum inter Arabes olim interrogatus qui esset, indicata patria, Niebuhrum a civibus se appellari diceret: admirati illi diu barbarem vocem atque in coniectura haerentes tandem, qui eius nominis esset sensus, rogitarunt. Beatos homines, quibus tantum natura concesserit animi vigorem, ut vel in nominibus quaerant sententiam! Igitur in rem fore existimo, si pauca de inscriptione carminis explanaverim. Sunt autem apud Arabes tres nominum partes. Una est, quod علم ipsi, Latini nomen dicunt, altera كُنْبَة seu cognomen, tercia denique لَهْبَة sive agnomen. Proprio nomine qui fuerit Noster, incertum est. Nam quod *Abu'l Charri'l Momallech* vocatur: est illud quidem cognomen, hoc agnomen, utrumque honoris causa ei inditum. *Charron* autem apud Arabes est, quem calorem Latini dicunt, ut *Abu'l Charri* nomen quid significare possit, facile sit intellectu. Dicat forsitan aliquis per lasciviam, fabrum ferrarium intelligi, sive re eam artem Noster professus sit, sive (quod magis verisimile) id nomen na-

3) Ita iudico. Vix enim mihi persuadeam, tanta ullum umquam hominem fuisse arrogantia, ut sibi ipse sciti elegantisque poetae laudem, (quae est verbi *Momallech* vis et potestas,) tribuerit. Cui argumento accedit, quod in meo codice illa inscriptio prorsus desideratur.

ctus propter miram, quae inter fabrum atque indoctum poetam intercedit, similitudinem, utpote quorum alter ferrum, alienos versus alter conglutinet. Nolim tantae malitiae aurem praebetas, humanissime lector. Obstat enim, quod additur, *el Momallech*, de quo strictim supra iam diximus. Ego saltem non possum non laudare doctissimum ROEDIGERUM, qui sublime carmen et audacem poetam eo nomine significari ratus, ut exemplo hanc sententiam confirmaret, litteris ad me datis ad nostrum ipsorum loquendi usum provocavit, quo candendi vocabulum a ferro ad audaces rerum imagines, quales in poesi reperiuntur, transferre solemus. Simul idem vir doctus ex arabico in vernaculum sermonem illud cognomentum ingeniose atque (inter nos dicere liceat, humanissime lector) verissime — — Sed ita a proposito aberravi, ut paene dixisset.

Momallech quod additur, quam *Melch* vocabulo sit consimile, nemo non videt. Neque haec similitudo in litteris solum cernitur, sed etiam in vi et potestate verborum. Utrumque enim cum per se salis notionem involvit, tum uti ad doctum poetam illud, ita hoc transfertur in scientiam et doctrinam, ut *Abu'l Melchi* nomine eruditissimum virum significari recte coniicias. Nec dubito quin ad eundem loquendi usum pertineat hic locus apud Matthaeum evangelistam (c. 5, 13), ἵμετις ἐστε τὸ ἄλας τῆς γῆς· quae sententia non modo μωραίνεσθαι vocabulo, sed etiam versu sequenti ἵμετις ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου satis defenditur⁴⁾). Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ dicta velim. Quod autem utramque vocem per se salis notionem involvere supra diximus; id vides an spectet ad commune poetae ac viri, quem carmine suo laudavit, domicilium. Est saltem, quo hanc sententiam tueare. Toto enim carmine tam se exhibuit Noster, ut vetus inter eum atque inter *Abu'l Melchum* intercedere usus videatur. Id quod multis docere non opus est, cum ipsa

[4) Vide quae GESENIUS de isto loco disputavit in Rosenmüller's Repertorio biblico exegetico T. I. p. 124 s. E. R.]

ipsa res satis in promtu sit. Praeterea ne illud quidem inutile videtur admonere lectorem, quale cognomen sit alteri, tale fere alteri esse agnomen. Etenim *Abu'l Melchi* appellatio et ipsa est honorifica, ut quoniam proprio nomine appellare liceat virum laudatum, aeque incertum sit, ac quo poetam laudantem.

Restat, ut quae in hoc carmine sint aetatis vestigia, paucis indicemus. Qua in re multum adiuvabit admirabilis quae-dam inter hoc et inter alia, eaque vetustissima Arabum poemata, similitudo. Omnium enim doctorum hominum ea est sententia, ut, si quae iisdem fere verbis a duobus auctoribus dicta reperiantur, casu id factum negantes, alterum alterius vestigia pressisse existiment. Illud autem antiquitatis ac recentioris aevi dissimile esse aiunt, quod, quae ab inventore paullo brevius et obscurius dicta sint, eadem ab imitatore fusi atque in modum explanatoris tractari soleant. Quam sententiam tantum abest, ut refutare velim, ut nihil umquam verius a doctissimis viris excogitatum fuisse censeam. Igitur id agam, ut, quoniam eiusmodi loci, de quibus modo dixi, apud Nostrum reperiuntur multi, singillatim eos infra in adnotacionibus meis enumerem, in praesentia carptim, ut quique sunt memoratu dignissimi, examini subiiciam. Quo numero unus omnium maxime est habendus vs. 8, 2: non carpit, qui aspernatur molestiam; quicum contendas velim illud Ssafieddini⁵⁾: non carpit fructum, qui aspernatur molestiam. Quid igitur? Num Ssafieddinum putabimus eius versus esse inventorem, quem deinde multis post annis Noster descripserit? Quod qui opinatur, profecto non video, cur non idem Homerum multo post Virgilii tempora floruisse dicat. Uno enim illo vocabulo, quod additur, satis se Ssafieddinus ostendit ineptum interpretem et explanatorem, cui ie*u*na sua oratione depravare placeret, quod ab Abu'l Charro ut

5) Ssafieddini Hellensis ad Sulthanum El Melik Efssalech Abu'l Mekarem Ortocidam carmen arabicum. E cod. mscr. Par. ed. Bernstein. Berolini 1816, fol. — Vid. ibi vs. 8, 1.

breviter ita concinne dictum videmus. Quin iste homo, quem ego grammaticum potius dixerim quam poetam, ne illud quidem من لا يحتمل intactum reliquit, quod quomodo ei visum sit ad vulgarem loquendi usum accommodare, in adnotationibus nostris ad h. l. docebitur. Praeterea Ssafieddinus alios quoque in eodem poemate multifariam, si non descriptsit, at saltem imitatus est, ut, quanam religione commotus a Nostro magis abstinuerit, ego non videam. Atque haec quidem de Ssafieddino. Inter reliquos, qui Abu'l Charrum imitati sunt, facile eminet Thabit⁶). Qui cum eius versum 13 propter antiquam و particulae formam parum aut ipse intelligeret aut ab aequalibus suis intellectum fore putaret, ita mutatum ex parte receperit⁷), ut illud antiquitatis vestigium prorsus sit deletum. De Nostro enim noli suspicionem commovere. Qui nisi senior esset, quam Thabitae aetas, non ita scripsisset, cum ne numerus quidem, neque omnino artis leges impedirent, quo minus integrum versum ab illo reciperet; nisi forte dissimulare eum putas suam aetatem. Neque aliter sentio de versu 16, quem paullulum immutatum legimus apud Samuelem Ibn Adiam⁸). In quo versu quamquam uterque auctor articulum vocis ع omisit, tamen haec est scripturae diversitas, ut poetica, quam dicunt, licentia a Nostro, ab altero ex grammaticae artis lege id factum facile tibi persuadeas.

Ex his igitur, humanissime lector, quid efficiatur, ipse tu videris. Qua in re quo minus haereas, trium locorum ad postremum te commonere liceat. Primus est, ubi antiqua illa و particulae forma exstat, de quo supra dixi. Alter deinde est vs. 9, 1. ubi pro Epitrito primo is numerus invenitur, quem

6) Idem qui alias vocatur Taabbatha Scharran, de quo nomine vid. Tebrizi scholion, quod adscripsit Schultens in Excerpt. Hamas. pag. 360. [Hamas. ed. Freytag. p. 33.]

7) Hamasa ed. Schultens pag. 396. [ed. Freytag. p. 42.]

8) Ibid. pag. 464. [Freytag. p. 51.]

Diiambum Latini dicunt, Arabes ipsi Māfālōn⁹⁾), quem numerum apud paucos antiquissimos poetas in usu fuisse docuit censor aliquis in Ephem. litt. Hal.¹⁰⁾ Tertius denique est vs. 22, ubi vini talis fit mentio, ut eum locum antiquissimis temporibus esse adnumerandum et ad priscos mores pertinere facile credas¹¹⁾). At enim, qui veterum poetarum mos est, ut unusquisque versus per se habeat sententiam omnibus numeris absolutam, idem in hoc poemate frustra anquiritur; quin multifariam ita ea procedit, ut versus a versu divelli omnino non possit: id quod ab optimorum poetarum consuetudine abhorrente prohibent. Aio enimvero. Sed vide, an uno argumento iudicium possit improbari. Nec spernendum esse censeo Arabis Hellensis¹²⁾ scholiastae testimonium. Is enim, antiquorum suae gentis carminum bene memor, propter magnam huius carminis cum illis similitudinem facile quemquam in eam opinionem venire dicit, ut Abu'lCharrum diu ante vetustissimorum carminum auctores floruisse putet. Quid vero? Quod Abu'l Charri nomen eam celebritatem nactum est, ut ad exterros¹³⁾

9) Metrum huius carminis est **الطويل** quod dicunt, de quo cf. GUIL. JONES in libro supra laudato pag. 29. seqq. [SAM. CLERICUS de prosodia arab. p. 35—42. EWALD de metris carm. arab. p. 65—71.]

10) A. 1827. Nr. 94. [Exempla eius rei, haud pauca inveniuntur in poematis antiquioribus, ut Amralkeis. Moall. vs. 34. 68. 70. 71. 73. 79. Soheir. Moall. vs. 14 bis. 23. 30. Hamas, ed. Freytag, p. 57. vs. 2. p. 86. vs. 1. 95, 2. 3. 129, 1. bis. 295, 1. al. At senioris aevi poetae a corripienda illa syllaba ita sibi caverunt, ut v. c. in Hariri Mecamis ne semel quidem correptam invenerint. E. R.]

11) Vide Hottingeri hist. orient. Tiguri 1660. p. 411.

12) **العرابي الحلى**. Ei enim tribuuntur scholia in codice ROEDIGERI adscripta. Non ipsum nomen id esse, sed cognomentum, vix opus est monito. Helle

(حلة) autem Iraci urbs est haud ignobilis. Utrum ab hac scholiasta nomen

suum traxerit, an ab alia *Halle* (حلة) Kamus. p. 1426. ed. Calcutt.) dicta, ab illa paullum remota, potes dubitare.

13) Haec sententia ipso Arabis Hallensis nomine comprobatur, siquidem inde conjectura assequi licet Arabicae linguae peritissimum virum, qui Ἀράρα-βος cuiusdam hominis opusculum praestantissimis scholiis adornaverit. Saepe fortuito id accedit, ut cum hominibus nominibus res ipsae congruant.

hoc carmen migraret ibique tam doctum, qualis est Arabs Hal-lensis, nancisceretur interpretem; qua tandem re id fieri potuit, nisi ipsius carminis et vetustate et praestantia?¹⁴⁾

Sed video, dum finem praefationi sum impositurus, iterum iterumque a via me declinasse. Noli autem propterea mihi irasci, humanissime lector. Quod enim doctissimis viris saepenumero accidere scimus, ut aliis persuadere studeant, quod in suam rem fore arbitrantur, idem si mihi acciderit, facile veniam me impetraturum existimo. Tu vero, quaecunque praefatus atque argumentatus sum, ne ita ad obrussam exigas. Laudas? Bene mihi! Vituperas? Actum de me est, nec quidquam ultra habeo, quo me defendam. —

Ceterum adnotaciones quae sequuntur, sic instituere mihi in animo est, ut aliquid inde utilitatis capiant iuvenes, quos horis subsecivis Arabicam linguam doceo; paucos illos quidem numero, sed litterarum amantissimos, ingenii acumine non destitutos, summo denique studio et indefesso labore ad difficillimum quodque, dummodo honestatis laudem habeat, animum applicantes. Quod velim considerent, si qui forte hoc notarum genus levius censeant, quam quod nunc ipsum in tanti viri memoriam in publicum emittatur.

Postremo non possum reticere summam ROEDIGERI benevolentiam, qua is in sese receperit, ut menda typographiche ex hoc opere expungerentur. Quo nihil optatius potuit mihi contingere. Huic igitur viro, cum in typothetarum officinam haec scripta mea mitterentur, veniam dedi per litteras, immo vehementer rogatum volui, ut inter expungendum, quocumque visum ei fuisse, suo nomine meis adscriberet uncis inclusum. Id quod commonere te volui, humanissime lector, ne alienam doctrinam ego mihi arrogare viderer. Vale. —

14) Etiam Ferdusium illum versum, quem supra interpretati sumus, ex Abu'l Charro descripsisse, ex his, quae diximus, facile intelligitur. Itaque GUILL. IONES non debebat eum versum alieno nomine inscribere. Sed enim Abu'l Charrum vir summus nondum cognoverat.

DIXIT
ABU 'L CHARRI 'L MOMALLECH,
QUEM DEUS O. M. SERVET.

-
1. Evidem deduco carmen meum et tendo ad ABU
'L MELCHUM sapientem, venerandum.
 2. Ipsius eo concutiam latus in concilio amicorum, sic
uti mea olim latera concussit imbre sapientiae
suae.
 3. Iamiam vero sol quinquaginta arsit cursibus, sed
enim Ipsius nondum desiit pluvia doctrinae,
 4. Quemadmodum flores rigat rivus (sine intermis-
sione). — Parcissimus Ipse est somni; sum-
mae Ei curae sunt
 5. Amici: eorum animos indefesso labore tuetur in-
star accipitris, qui non recedit a pullis.
 6. Quin etiam dum claudit lumina Eius impetus somni,
non cessat Ei custos cordis seduli et attenti.
 7. Parcus est conquestionis de molesta quaque re si
quae Ipsi acciderit; multos molitur labores, dif-
ficillimis rebus exercitatus.
 8. Non potest apis non recusare aditum mellis, nec
carpit (fructum) qui non perferat labores.
 9. Age sis! Ecquisnam adipiscitur (margaritas) quie-
tus in littore? Non est margarita in mari nisi
in imo.
 10. Non subigit gloriam sine labore populus ullus,
nec ludendo qui agit.



11. Sic iste est populus, quem Ille odit; ast enim non assecuti sunt societatem cum Eo.
12. Duplex Ei est sapor, mellis et colocynthidis; colocynthidem praebet populo inconstanti, mel amicis Suis.
13. En! vehitur nudo molestiae dorso, intenditque lumina cordis Sui speculantia
14. Ad difficultates rerum, adiuturus, etiamsi in-commodis Ipse opprimatur.
15. Per Deum! virtus quidem virorum laudanda est; at Hic puritate indolis solis aequiparat lumen.
16. Haeret sub terra radix Eius, et vertice tollitur ad sidera, polus Ipse populo Suo.
17. Quemadmodum post torrentis decursum exalveo fit pratum: sic merita Eius post mortem constabunt.
18. At hercle! Si omnes Eius virtutes considerare velim, nae illum aequiparem, qui cuspidem ensis amiserit victus.
19. O Venerande! Detrahe de corde Tuo tegmen-tum! Faustus Tibi sit hic dies festus! Macte esto eius luce!
20. Nulla res nunc animum Tuum turbet! — Mare quoque numquam turbatur.
21. Concelebrant hunc diem omnes Tui amici; iam-iam ei inviderunt ceteri eiusdem anni dies omnes.
22. Io vinum ferve! Hoc cyatho senem nostrum sa-lutabo. Totus Ille hilaretur!



G e d i c h t
v o n
A b u ' l C h a r r i ' l M o m a l l e c h . ¹⁾

*Auf denn! Vermählt werd' also, du o mein festlich Lied,
Zu unserem Meister geh, o Braut, dem Gefeierten.
Wohlan! Dort im Festkreis' seiner Jünger erheitre Ihn,
Wie einst Seiner Weisheit Regen oft mich erheitert hat.
Schon endete funfzig Mal die Sonn' ihre Flammenbahn,
Seit Er mit der Weisheit Regen rastlos die Jünger letzt,
Wie rastlos ein Giessbach fliest, und labend die Blumen tränkt.
Fürwahr! auch die Nacht bringt Ihm erquickenden Schlummer nicht,
So oft für die Wohlfahrt Seiner Freund' Ihm die Sorge naht,
Wie schirmend im Horst wachsam ein Adler die Jungen deckt.
Und wenn auch das Aug' Ihm unbezwinglicher Schlummer schliesst;
Es wacht doch das Herz rastlos, und sorgt um die Wissenschaft.
Er achtet die Klag' unmännlich, und scheut die Beschwerde nicht,
Niemals der Mühl' abhold, die Gutes für Andre schafft.
Erschweret den Zugang dir die Biene zum Honig nicht?
Und pflückst du die Frucht jemals so bald oder sonder Mühl?
Die Tiefe des Meers birgt Perlen. Bleibst du an Ufers Rand
So sorglos und arbeitscheu, erwirbst du die Perle nicht.*

1) Das folgende Gedicht, welches vielen Lesern eine nicht unwillkommene Zusage seyn wird, ist mehr eine freie Nachbildung, als wörtliche Uebersetzung. Das Metrum des Originals (◦—◦ | ◦———— | ◦—◦ | ◦—◦) ist beibehalten; dabei aber von der Licenz (◦—◦— statt ◦————) im zweiten Fusse, die auch im arabischen Text einmal vorkommt, Gebrauch gemacht. Der Reim, der im Arabischen wesentlich ist, und auch in den längsten Gedichten durch alle Verse gleich bleibt, konnte wegen zu großer Schwierigkeiten nicht berücksichtigt werden.

*Ein Volk, das dem Leichtsinn dient, und sonder Beharrlichkeit
 Und spielend das Werk angreift, gelanget zum Ruhme nicht.
 Und solchem Geschlecht abhold war immer Sein Biedersinn; —
 Verhasst ist der Freundschaftsbund des Volks das die Mühe scheut.
 Geschmäcke ²⁾ des Wermuths theilet Er, und des Honigs, aus;
 Den Weichlingen Wermuth, Honig kostet der Freunde Schaar.
 Ihn beugt nicht der Arbeit Last. Wie Reiter ein muthig Ross,
 So lenkt Er der Arbeit Zügel. Aber des Geistes Aug'
 Ist stets auf die Wohlfahrt Andrer spähend gerichtet, selbst
 Wenn unter des Beistands Bürd' Ihm eigene Kraft erlahmt.
 So ist es! Der Bravheit Ruhm ist tapferer Männer Zier;
 Doch grössere Zierd' ist's, rein zu seyn wie das Sonnenlicht.
 Er gleicht dem Baum — aufstrebt der Wipfel, die Wurzel steigt
 Hinab in der Erd' Abgrund — den Seinen ein Wendepunkt.
 Wie bald nach der Fluth Abfluss der Boden von Blumen prangt,
 So bleibt Seines Wohlthuns Frucht, wenn einst Ihn der Tod ereilt.
 Verstumme mein Lied! Ein Streiter, welchem das Schwerdt entsank,
 Erschein' ich, wenn Dankbarkeit des Biederer Tugend erwägt.
 Verehrter! des Unmuths Schleier lüfte der Seele nun,
 Es öffne dem Frohsinn' dieser festliche Tag Dein Herz!
 Sei immer die Klarheit Deiner Seele Dir ungetrübt,
 Wie Sturmes Gewalt niemals den Spiegel des Meeres trübt.
 Es feiert Verehrung Dir den seltenen Jubeltag;
 Mit neidischem Blick sieht's jeder andere Tag im Jahr.
 Wohlan denn! Von Nektar schäumet, blinkende Römer, nun,
 Dem Greise des Festtag's tön' ein freudiges Lebe hoch!*

2) Diese Pluralform gebraucht Göthe in seiner Uebersetzung des zwölften Gedichtes der Hamasa (Westöstlicher Divan, S. 258 ff.) vs. 12.

ADNOTATIONES.

Vs. 1. Descripsit hunc versum et proxime sequentem Thabit. Vid. Exc. ex Hamasa ed. Schultens p. 394. — Quod poeta carmen suum cum sponsa comparat, videtur mihi eo significare voluisse, quam timide id viro laudato traderet. Ita in verbo مهـدـنـى non solum summa elegantia, sed etiam singularis quaedam modestia et verecundia cernitur; quam potestatem vocabuli Schultens silentio praeteriit. — [من] Saepius haec particula est nota Genitivi. Abulfedae Aegypt. ed. Michaelis p. 18: كورة من الصعيد regio Saidae. Vid. infra vs. 5, 1. 6, 2. 13, 1. Idem est usus particulae ئـنـى apud Hebraeos, cuius rei exempla dedit Gesenius in lex. Cf. Gesen. carmina Samaritana p. 86. not. 5. — [شـهـى] Perperam Schultens et post eum Michaelis et Bernstein ediderant قـتـائـى. Sed emendavit vitirosam lectionem Bernst. in: *Nachträge zu seiner Ausg. der Michael. arab. Chrestomathie* p. 29. — [بـ] Producitur suffixum h. I. Vid. *Michael. arab. Chrestomathie* ed. Bernstein p. IX. not. Causam affert de Sacy in gramm. I. §. 139. (p. 61.)¹⁾ — [الـكـيـمـ الـمـوـيـهـ] Constructionis asynd. apud Arabes frequentiorem esse usum quam in lingua graeca et latina, tironum causa moneo. Neque eius rei exempla in poesi solum reperiuntur, sed etiam in oratione pedestri. Locm. fab. 13 fin. ضـعـيفـ حـقـيرـ²⁾ —

Vs. 2. De sensu verborum افـزـ عـطـفـهـ vid. Schultens l. I. — [الـصـحـبـ] i. q. Sacy gramm. II. §. 482. — [كـماـ] Quid

1) [Conf. Cleric. de prosod. ar. p. 63. Ewald. de metr. carm. arab. p. 10. E. R.]

2) [Vocant grammatici id genus أـيـضـ، أـيـبـ حـبـ ut أـتـبـاعـ، حـسـنـ بـسـنـ عـرـيـضـ، حـسـنـ بـسـنـ عـرـيـضـ أـيـضـ، أـيـبـ حـبـ etc. E. R.]

de hac forma iudicent viri docti, vid. in Gesen. lex. s. v. טו Lehrgeb. §. 151. not. 2. Sacy gramm. I. pag. 357 infra et 403 infra. Sed fortasse haud absurdum est contraria sententia, formas **كما**, **بما** (hebr. במו, במא) cum ما interrogativo omnino non cohaerere; esse ea vocabula primitiva, quae ita quotidiano usu paullatim decreverint, ut una tantum littera restaret. ³⁾ — [بمدرار] Videtur mihi poeta alludere ad verbum **اقطار**, quod una littera detracta (قطار vs. 3, 2) *pluviam* significat. Eiusmodi verborum lusus amant prae ceteris poetae orientales. Vid. Iones comment. p. 18. Szafieddini carmen supra cit. vs. 7 et vs. 37. Schultens. exc. ex Hamasa p. 424 (حيث) — **أنهوى** (غيبت). Sic infra in hoc ipso carmine legitur vs. 7, 2: **أري وشرية**. — Eiusdem generis est Genes. 49, 8: **גד פריד ינידני**; vs. 16: **גד ידין**; vs. 19: **גד פריד ינידני אלהירקה**. Neque eiusmodi lusu omnino abstinuerunt veteres occidentales, quos vulgo scriptores classicos appellant; quin Ciceronem simile quiddam etiam amasse aiunt. Vid. Ochsnerum in: Ciceronis eclog. ab Oliveto collect. p. 83. Atque hinc, ni omnia me fallunt, efficitur, Thabitum hunc versum descriptsisse. Is enim, cum verborum lusum non conciperet, idem loquendi genus (اعز عطفة), quod h. l. propter sequentem versiculum summam habet elegantiam, ineptissime et fere ridicule mutatis verbis ad camelos accommodavit. Nec tamen diffiteor, exempla supra laudata paullulum ab h. l. differre, ac iure quodam aliquem posse mirari, quidni poeta scripserit:

كما هو اقطاري بقطر علومه

Quin etiam ego ipse vehementissime miror. Sed haec hactenus. — Pluvia et nubes apud Arabes, praesertim poetas, cu-

3) [Obstrepit huic opinioni Scholiasta Hellenis, atque eorum sententiam tuerit, qui ما Nomen esse contendunt. Argumentum eius rei petit ex ipsius Abu'l Charri verbis, quae vs. 5. leguntur: **كما أجدى**, ubi inter ما et أجدى communem nominum coniunctionem intercedere ait, quam **اصنافه** appellant. Evidem scholiastae sententia mea est. E. R.]

iusvis rei copiam significant. Exc. ex Hamasa ed. Schultens p. 424:

غیث مزن غامر حیث یجدى

Cf. Szafieddini carmen cett. vs. 20. Itaque verbis مدرار عقله adumbrari uberrimam scientiam et doctrinam, coniicio; quamquam non repugnaverim, si quis potius utilitatem atque oblationem, quam Abu 'l Melchi doctrina habuerit, intelligere velit; quae quidem sententia comprobari quodammodo possit Iobi verbis c. 29, 23:

יְהִי כָּפֵר לְיַד וּבִיהָם פְּעֻרָה לְמִלְקֹשׁ

cf. Deut. 32, 2. Viderint lectores ipsi. Ego saltem non pro certo affirmaverim, quid sibi voluerit poeta. —

Vs. 3. Verbum ﴿ non solum ardendi et flagrandi notio-
nem, sed etiam currendi, habet. Eandem in utraque versione
reddidisse mihi videor.⁴⁾ — تارة شوطا (quinquaginta cursus), contra metrum. Itaque شارة (quin-
quagies) recepi ex cod. Roed., quamvis haec lectio suspicio-
nem interpretamenti mihi quidem videatur habere. Viderint
viri docti, num scribendum sit hoc sensu: *quinquaginta*
de suis cursibus. Scio quidem أَتَتْ شَيْئَيْنِ بَشِّرْيَيْنِ Genes. 32, 23
non esse *duas de uxoribus*, sed *utramque uxorem*; neque eo-
dem loco أَخْرَى شَرْبَلْيَيْنِ يَرْدِيْنِ significare *undecim de filiis Iacobi*,
tamquam si plures numero fuissent, sed *filios eius undecim nu-
mero* (LXX: ἐλαβε τὰς δύο γυναικας, καὶ τὰς δύο παιδίσκας, καὶ
τὰ ἔνδεκα παιδία αὐτοῦ); — qui usus pronominalum suffix. non

أَجْتَ النَّارُ أَجْيَابًا تَلَهَّبَتْ وَالْأَجْةَ شَدَّةُ الْحَرْ وَالْأَجْاجُ الشَّمْسُ وَقِيلَ تَوْجٌ [4)

أَجْ الشَّمْسُ أَيْ تَنْتَورُ وَهَذَا بَعْيَدُ ضَعْيَفِ i. e. أَجْ de igne dicitur flagrante;
أَجْةَ est vehementia ardoris et أَجْاجَ sol vocatur. Quod autem dicunt
أَجْ de sole dictum eius circuitum significare, id longius petitum ac tenuer-
est. Sunt ista verba Elarabi el Halli. E. R.]

differt ab articuli usu in numeralibus, de quo vid. Gesen. Lehrg. §. 181, 7; — neque tamen omnino desunt exempla in lingua hebraica, quibus coniecturam meam quodammodo defendere posse mihi videor. Eius generis est Genes. 22, 3: **וַיֹּקֶח אֶת־שָׂנִי**, quem locum interpretor: *secum duxit duos ex servis suis* (LXX sine articulo: δύο παῖδας). Plures enim Abrahami servos fuisse numero, ex Genes. 14, 14 constat. Sed, quoniam eiusmodi exempla ex lingua arabica mihi non succurrunt, viris doctis res relinquatur dijudicanda.⁵⁾ — [تنبجم قطران] De syntaxi verborum videant tirones Sacy gramm. II. §. 319. —

Vs. 4. Ne quis putet, ad solam poesin spectare hanc verborum syntaxin, qua fem. عاشت coniungitur cum masc. (Sacy gramm. II. §. 683): afferre liceat Locm. fab. 4: **فَدَخَلَ الَّذِي**

